

**Adami Tanneri E Societate Iesv, S. Theologiæ D. Et In  
Academia Ingolstad. Professoris, Theologiæ Scholasticæ  
Tomus ...**

Cum triplici Indice

De Fide, Spe, Charitate, Ivstitia, Religione, caeterisq[ue] virtutibus [et]  
vitijs: ac varijs hominum statibus. Secvndae Secvundae S. Thomae  
Aqvinatis Respondens

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1627**

V. Qua ratione, quibusue medijs beneficia aut auertenda, aut extirpanda  
sint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72877](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72877)

querer communem illam sententiam; adeo ut si fin talem non legitime confessam aut coniunctum index seuiens, eum non patiatur Ecclesiastice tradi sepulturæ, peccet mortaliter, & actione iniuriarum conueniri à propinquis defuncti posse, iuxta capiit. Placuit, & capiit ex parte, de sepulturis. Neque hac in re, inquit, praxis contraria proferunt Doctores, sed omnes volunt unanimiter, quoad hos iura seruari.

**ASSESSORIO IV.** Licitum tamen est iudicii, protestationem interponere, & item ceptam contra mortuum prosequi; seu agendo in locis, vbi bona confiscantur, ad bonorum confiscationem, aut saltem ad memoriam damnationem, & vt corpus sepultum post condemnationem possit exhumari, & ossa comburi. Ita ex communi Delrius lib. 5. sect. 19. post Gomezium tom. 3. casu 1. num. 80. Claram q. 5. 1. num. 14. & Simancham in praxi tit. 62. & 56. Poterit tamen, inquit Delrius, Index finire corpus sepeliri, cum protestatione, & item ceptam contra mortuum prosequi, citatis ad defensionem ijs, quorum interest, vt in heresim crimine seruatur. Nimirum, quia huius, (vt & heresim) excepti criminis natura est, vt morte non finiatur, sed contra mortuum procedi in eo possit.

Sed quot annorum spatio curritius contra mortuum agendi? Putarem, inquit Delrius, in hoc crimen, quod bonorum confiscationem, non posse agi post annum quadragesimum; ad memoriam tamen damnandam adhuc agi posse, iuxta ius canonicum, docent etiam Brunus de hereticis lib. 5. cap. 17. & Simancha tit. 62. num. 7. ex cap. olt. de prescriptionibus in 6. Sed iuxta civile videatur quinquennium tantum spatium exigere, iuxta legem 2. Cod. de apost. & glossam in legem Manichei cod. de hereticis; cui in foro civili standum, ut ex communi tradunt etiam Gomez num. 82. & Claram §. fin. q. 52. num. 24. & colligitur ex dictis supra quæst. r. dub. 6. n. 99.

## DVBIVM V.

*Qua ratione, quibusue medijs  
Veneficia auertenda, aut ex-  
tirpanda sint.*

Ad S. Thomam 2. 2. q. 67. a. 3.

**112** **N**on contentus esse Theologus debet criminis veneficij malitiam ac pernitiem intelligere, & ob oculos ponere; sed necesse est etiam, modum ac rationem ostendere, qua aduersus illud pugnandum sit. Vbi quidem duplex quæstio explicanda occurrit; prima, qua ratione veneficia seu maleficia auertenda sint, ne cui noceant; altera, qua ratione hoc crimen, quod diaboli tyrannide & hominum malitia a deo inualuit, è communitate extirpandum sit.

**113** Quod ad prius quæstum attinet, reuocandum est in mente, quod tom. 1. disp. 5. de Angelis q. 6. dub. 7. docuimus, diabolum per se quidem immediate ac directe non posse ulli damnum corporale inferre, nisi speciali Dei permissione interueniente; sed nec per sagas etiam, nisi Deo ob bonum finem permittente. Quare cum omnis haec res à diuina

prouidentia pendaat, optimum medium ad auertenda & evadenda maleficiorum damna, est spes & singularis fiducia in Deo, tum quotidianiis precibus, tum vita honestate conscientiae puritate comparata, iuxta illud psalm 90. v. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur;* & illud Apostoli Rom. 8. v. 3. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quod si nihilominus Deus aliquando etiam bonis, & in ipso confidentibus, mali quidpiam à maleficiis obuenire permittit, id dubitandum non est, ad maius eorum bonum, sive in hac, sive in altera vita cessurum; vt cum S. Job accidit, qui post diaboli afflictionem, longè maiori postea, quam unquam antea felicitate & prosperitate recreatus fuit.

Atque cum hac præsternit moderatione accipio illud, quod scriptit Aureolus in 4. dist. 3. 4. q. vn. a. 2. *Difficile quidem esse loqui de diuina potestate; sed de congruentia videri dicendum, quod cum diuina iustitia semper admisceatur misericordia, etiam ultra condignum, ex parte hominis; non puto, inquit, quod hominem existentem in gratia Deus permittat, de communione, deducit virtutem maleficij usque ad mortem; sed loquendo de homine existente, vel qui praefuit in culpa, quæ mereatur mortem; ac per hoc fiat execratio tam a genti, quam patienti, quam etiam circumstantium, non video, cur sit irrationale.* Ita Aureolus.

Præter hoc generale medium, sunt hæc speciales. I. Confessio peccatorum & expiatio conscientiæ. Sicut enim peccata mortalia singularem Dei protectionem auferunt, ita eorumdem expiatio per penitentiam eandem restituit: & ex historijs notum est, nonnunquam domorum infestations diabolicas per sacram confessionem totius familie fuisse sublatas.

II. Missæ celebratio in locis, quæ nocturnis spectris infestantur; cuius rei luculentum exemplum, præter alia recentiora, extat apud Augustinum lib. 22. de ciuit. cap. 8.

III. Exorcismi Ecclesiæ, qui vim habent, tum ex Christi institutione, qua Deus hanc potestatem Apostolis, aliquique Ecclesiæ ministris consignauit; tum ex persona Ecclesiæ, cuius nomine recitantur; tum in primis ex Christi nomine, morte, ac meritis, quæ in eiusmodi exorcismis aduersus diabolicas infestaciones veluti antidoti loco obijciuntur.

IV. Imago S. Crucis domorum, cubicolorum, vel thalamorum ianuis inscripta. Quem vetustum fidelium usum testantur Cyrilus lib. 6. in Iulianum, Ruffinus lib. 2. hist. cap. 29. & Ephrem serm. in S. Crucem vbiait: *Coronem portarum frantes ut Christiani; & non ut gentiles atque pagani lauris, aut frondibus, alijsque herbarum generibus.* Error Idolorum destructus est: mors ipsi polita est: inferorum captiuitas reuocata est: imperium errans multorum Deorum confactum est: homo liberatus est: Dominus regnat a ligno: creatura latatur: Crux dominatur: quam omnes adorant Gentes & populi, tribus & lingua. Crucem depingamus & insculpanus in ianuis nostris. Vnde est illud Ecclesia: *Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ; vicit leo detribu Iuda.*

V. Signum S. Crucis, eiusque frequens usus, Hoc scuto aduersus diabolum, eiusque infestations, vbi sunt Sancti, Antonius teste Hieronymo in

114

115

116

117

118

vita S. Pauli, Hilarion codem teste in vita S. Hilarionis, Martinus teste Sulpitio & Paulino lib. 3. in eius vita. Optimè Antonius apud Athanasium in vita eiusdem: *Cum videritis (dæmones noctu venientes) tam vos, quam domos vestras Crucis armate signaculo; & confessim soluantur in nibilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator æreas expolians potestas, eas fecit ostentui.*

Bene tamen Chrysostomus homil. 55.. in Matthæum: *Crucem, inquit, non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente præsum formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tua impresseris, nullus scelerorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congreedi tecum audebit.* Plura Iacobus Gretterus lib. 4. de Cruce cap. 3 6. & seqq.

**VI.** Nomen Iesu, B. Virginis, Angeli Custodis, aliorumque Sanctorum pie inuocatum. De qua re Chrysostomus homil. 4. de laudibus S. Pauli: *si IESVM inuocaueris Nazarenum, velut ab igne dæmon repente diffugiet.* Et Antonius apud Athanasium in eius vita: *Crucifixum nominamus; & universi dæmones ad primum dominice Crucis signum fugantur.* Et Arnobius 1. cont. Gent. Iesu nomen audierum fugat noxiis spiritus, imponit silentium variis, haruspices inconsolos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicit nominis, sed maioris licentia potestatis.

**VII.** Usus rerum sacrarum, & precibus Ecclesiæ ad hunc usum consecratarum, ut sunt Agni cerei, aqua benedicta, itemque cerei, panes, palmarum, aliarumque arborum rami benedicti &c. Habent enim hæc vim ex precatione S. Matris Ecclesiæ Sponsæ Christi; de quibus varia extant exempla. De qua re bene etiam monet Gregorius de Valentia disp. 6. q. 13. pun. 4. §. 5. Ut dum maleficæ personæ in carcere detinentur, adsint in promptu remedia spiritualia, ad propulsandam vim & iniurias dæmonis; ut aqua benedicta, agnus Dei, crucis & sacrae imagines, exorcismi &c. Item ut præsto sint sacerdotes, qui reos de ratione officij sui, tum in ipso iudicio, tum placando & propitiando sibi Deo diligenter & maturè admoneantur. De quo tamen vide etiam dicta superius n. 84.

**VIII.** Supplicatio sancti facta; itemque Reliquiæ & Imagines Sanctorum; speciatim etiam S. P. N. Ignatii; qui ut in vita singularis dæmonum hostis, & Victor extitit, ita experientia compertum est, etiam post mortem, eius imagines ad infestations & terricula menta diaboli auertenda, magnam vim habere.

**IX.** Oratio cum ieiunio, iuxta illud Christi Matthæi 17. *Hoc genus demoniorum non ejicitur, nisi in oratione & ieiunio.*

**X.** Opera misericordia propter Christum. *Nam qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Proverb. 22. v. 9. & Tob. 12. v. 9. Eleemosyna à morte (etiam corporali) liberat. Et oratio Tobias misericordia iuncta impetravit, & curationem cæcitatis, & liberationem Saræ à dæmonio.

Adde postremo etiam destructionem symbolorum maleficij: hæc enim, si inueniantur, destruere licet esse, alibi de Relig. & de Matrim. doceamus. Nullo vero modo committendum, aut concedendum, ut maleficium maleficio soluatur, ut

dictum etiam tom. 1. disput. 5. quæst. 6. dub. 7. & fusi tom. 4. de imped. matrim. vbi de impotencia agitur. His ergo modis incantationes & maleficia tum auertuntur ne noceant; tum etiam aliquando immissa sanantur, & irrita reduntur.

Quod vero ad secundum attrinet, qua ratione crimen maleficij è communitate extirpandum sit, duo ad hanc rem adhibenda occurunt remediorum genera. Quædam sunt politica, alia sunt spiritualia. Politica sunt duo. Primum est, ablatio occasionum & incitamentorum, quibus plerique miseri homines ad commercium & consuetudinem cum dæmonie contrahendam allicitur; & quibus adeo ipsi etiam dæmoni via aperitur, ut liberum ad homines seducendos accessum habeat. Talia sunt primò turpia & obscena conuentacula, tum diurna, tum nocturna, quibus petulantissimi virtus sexus, præcipue rusticani homines, ad omnem immundæ voluptatis experientiam, tum in diuerso, tum in eodem etiam sexu, sæpe ad multas horas se exercent; quæque licet non nunquam latenter fiant, non ita tamen latent, quin patribus & matribus familias sint cognita, aut saltæ ab ijs deprehendi facile possint. Hæc ergo dixerim vera diaboli gymna, & strigum virtus sexus seminaria; qua eo nocentiora sunt, quod à nemine improbantur, neque culpæ aut criminis dantur; adeo ut si forsitan etiam ab aliquo deprehensa reprehendantur, tamen propter impunitatem & licentiam in externo foro, reprehensio vix fidem inueniat. Exempla huius rei recentia habemus ex vicinia, vbi cum post festa paschalia feedissimis amplexbus & tacibus in publico campo, cuiusdam lufus modo, serui & ancillæ iuxta pagum quendam inter se colluctarentur, ibique calu quidam est nostris Sacerdos cum socio iter illac faciens, interuenisset, fecitatemque tam apertam reprehendisset, parum abfuit, quin a lascivientibus seruis pro verbis verbera retulisset. Non multo post, cum in alio vicino oppido similem lasciavimus, apud eius loci parochium, alias quidam sacerdos noster reprehenderet, & maiori studio abolendam suaderet, aliud responsum non tulit, quam hunc esse antiquum ac gentilitium patriæ norem &c.

Secundo huc proinde etiam spectat feedissima petulantia per turpes contactus, complexus, denudationes, quæ in chœris, in ludis, & recreacionibus, imo inter ipsos etiam laborosæ agrestes, ac ciuiles conuentus, domi forisque, priuatim ac publicè in oculis occurunt, quibus adiunge obsecnum foeminas in die Innocentium virginis cædendi morem, itemque genus quoddam turpe chorearum agrestium, quod sua natura ac tota corporis agitatione aperte libidinis irritamentum est. De qua re pluribus differui tom. 2. disp. 4. quæstione 8. dub. 5.

Hæc sunt quæ diabolo viam sternunt ad sedendum; hæc sunt, quæ contempto timore Dei, infelices homines impellunt ad ipsum etiam diaboli commercium non detrectandum, ut fædae voluptatis libidinem, tantis incitamentis effrenam in modum concitatam, quo quis modo exsaturare possint. Quæ si Magistratus virtusque vigilantia, constitutis ad hanc rem peculiaribus morum Cen-

foribus

foribus & Syndicis, corrigerentur, nihil dubito, quin peccatum illa Veneficij, magna ex parte, breui est Repub extirpanda foret.

126 Alterum medium politicum, est legitimus & accuratus processus iuris, aduersus hoc crimen; isque non uno solum in loco, sed communis principium, consensu vniuerso orbe Christiano instituendus. Quamvis enim, ut superius dictum, facile sperari non possit, hoc crimen sola iudicij severitate exterminatumiri, est ea tamen necessaria, tum ob vi-  
tandum scandalum, ne simplices putent, crimen non esse; tum ob honorem Dei vindicandum, & grauiissimas eius iniurias debita animaduersione castigandas. Adeum vero processum ego, salvo Sapientiorum iudicio, præter notata dubijs præcedentibus, requirere ista. I. Ut iudices sint non solum egregie docti, & prudentes, sed etiam optimi & egregii pii. Alias enim cum pugna haec suscipiat aduersus diabolum, & causa per se obscurissima & intricatissima sit, non sine periculo suo, & aliorum, imo & ipsius Communilitatis, hoc officium sustinebunt.

127 II. Ut iudicibus attribuatur etiam aliquis pius & eruditus Theologus, ob varias causas. 1. Ut in rebus dubijs præcipue ijs, quæ forum internum, & crimina quædam mere spiritualia concernant, ut sunt hæresis, abnegatio fidei &c. itemque in alijs perplexis & obscuris tam facti, quam iuris quæstionibus, ex Philosophia & Theologia principijs potissimum resoluendis, quoad opus erit, consuli possit. 2. Ut prudenter aduertat, quibus rationibus hoc vel illo loco homines ad eiusmodi sacrilegiam cum diabolo consuetudinem inducantur. 3. Ut si qui ex reis prudentiores, & serio ad Deum conuersi videantur, ex illis exploret, quænam existimeti ipsi efficaciora esse media, ad hoc crimen extirpandum. 4. Ut subinde aliquid spirituale auxilium reis adferat. 5. Ut cum hoc crimen sit mixti fori, ut tradit Panormitanus & alij, in cap. 1. de sacrileg. imo vero maiori ex parte spirituale, securius in eo à iudicibus secularibus procedatur. Quia de causa etiam video Gregorium de Valentia, iam olim tom. 3. disp. 6. q. 13. pun. 4. expediens iudicasse, ut in his causis, unus saltus Theologus iudicibus secularibus adiungatur.

128 Nec idcirco communiter necesse erit, aut in loco torturae, aut ipsa tortura durante adesse; hoc enim prohibitum est in Concilio Antisiodorensi Can. 33. vbi dicitur: Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, ubi rei torquentur, stare. Et cap. 34. Non licet Presbytero in iudicio illo sedere, unde homo ad mortem tradatur. Satis erit, cum eo acta communicari, & ad maleficas accessum habere, eiusque vbi opus erit consilium audiri. De qua re nonnulli etiam egi tom. 1. disp. 5. q. 5. dub. 3.

129 III. Ut in quibus ciuitatibus, oppido, & pago, constituantur Syndici & Exploratores, qui ad omnia indicia huius criminis diligenter attendant, seruato interim silentio, eaque ad constitutos iudices deferrant; ab iisdem notanda, ut sive per se sola, vel alijs accedentibus, tanti momenti esse videantur, inquisitio institui possit.

130 IV. Ut iuxta leg. vlt. Cod. de malef. & Mathem. seuerè præcipiantur omnibus, ut qui aliquam perso-

nam hoc crimen infectam, vel de eo merito ac graveriter suspectam neque emendatam haec tenus non sint, occulte ad iudices constitutos deferant; data interim silentio ac imputiatis fidei. Eæ vero denuntiationes eti non continuo sufficere soleantur, ad capienda & torquendas personas denuntiatas, annotandæ tamen erunt, vna cum personis denuntiantibus, alijsque circumstantijs, ut suo tempore usui esse possint. Poderit etiam ad hunc finem, pro concione moneri omnes, ut norint se teneri, ad personas eiusmodi, quas nondum emendatas sciunt, denuntiandas, ut dictum supra disput. 2. q. 5. dub. 4. & hac disp. q. 4. dub. 6. n. 110. Eodem spectat etiam illud, quod monet Valentia disp. 6. q. 13. punct. §. vii instituta generali inquisitione, impetratur omnibus aliquo publico edicto, ut sub certa poena intra certum tempus per viam accusationis vel denuntiationis iuridicæ, deferant siquid sciant, aut viderint, aut audierint &c. Oportebit autem, ut idem monet §. 4. delationes fideliter & diligenter, ad acta referri, seruato silentio, &c.

V. Ut processus non nimis diu prorogetur, sed seruata iuriis forma maturius expediantur, vel damnatis reis & confessis, vel dimissis, si qui per torturas indicia purgariunt.

VI. Ut fagæ de complicibus non examinentur, nisi post acceptam mortis sententiam, & præviam poenitentiam criminis, ac præparationem ad bene moriendum à Confessario procurandam: impoenitentibus vero parua, aut nulla fides habeatur, ut dub. 2. dictum.

VII. Ut verè resipiscientibus extra iudicium, promittatur venia & impunitas commissi criminis, si verè & serio pii & prudentis Confessarij iudicio, poeniteant: quo casu, si Confessarius norit, iam antea fusse denuntiatas, curabit, accepta à poenitente facultate, ut sub fide secreti ex Catalogo denuntiarum deleantur. Et que hoc medium conforme S. Inquisitionis officio, & processu in foro Ecclesiæ, de quo Farinacius part. 7. oper. tract. de hæret. q. 18. §. 1. num. 48. Quod si lamia, inquit, penitentes veniam petunt, & ad Ecclesiam ex corde redire volunt, sunt admittendæ ad penitentiam, ac etiam reconciliandæ; nec ullo pacto curia seculari tradende; etiam quod infantes occiderint, seu alia atrociora & nefanda crimina perpetraverint, iuxta Simancham Cathol. Instit. tit. 37. rub. de Lam. n. 17.

Et audio, quibusdam in locis, hoc medium ad salutem plurium feliciter cessisse. Forsan aliquando expediret, etiam aduersus damnatas ut eiusmodi benignitate Ecclesiastici fori, ut nimis iuxta Can. Episcopi 26. q. 5. à fidelium communione separatae, certis aliquot diebus, ante fores Ecclesiæ, habitu penitentis stantes, & ad certas abstinentias &c. obligatae, publicam, v.g. vnius anni spatio, penitentiam subire cogerentur. Evidem non dubito, plus diabolum hac humiliatione confusum & repressum iri, quam mille mortis supplicij.

VIII. Denique ad processum in hoc iudicio generatim seruandum quod attinet, obseruanda est generalis doctrina superius quest. 4. dub. 4. & seqq. tradita, quam ad hanc ipsam quoque materiam speciatim applicat Valentia disp. 6. q. 13. pun. 4. §. 1.

Nempe ut quis iure interrogetur de se ipso, necesse est, vt is sit suspicetus de hoc crimen, vel propter publicam infamiam, vel propter grauiam indicia duorum saltem testimonio comperta, iuxta Sylvestrum V. *Indicium* q. 2. & *Constit. crim. Caroli V. art. 23.* vel propter semiplenam probationem, vt si prater actorem vel denuntiatorem, accedat vnius testimonium omni exceptione maius, vel indicia tali testimonio aequivalentia, vt notat Caietanus q. 69. a. 2. & indicat Nauarrusman. cap. 18. n. 57.

Idque ipsum etiam reo cum interrogatur significandum erit, eum scilicet merito suspectum esse, ob aliquam ex predictis causis, vt intelligat se legitimè interrogari, & obligatum esse ad respondendum, vt iuxta cap. *Qualiter* & quando 2. de accusat. notant etiam Sotus lib. 5. de Iustit. q. 6. a. 2. Caietanus q. 69. a. 2. & Nauarrusman. cap. 18. n. 57.

Addit Valentia ibidem, vt non solum ipse reus de se, sed etiam alij de illo, per specialem inquisitionem interrogentur, tanquam testes, non sufficere qualem cunque suspicionem, nisi determinate fuerit orta ex infamia publica, qua reus laborauerit circa crimen, quod inquiritur, vt patet, ex cap. *Inquisitionis*, & cap. *Qualiter* & quando 2. & cap. *Cum aporteat de accusationibus*.

Sed hoc patitur aliquam limitationem, praesertim in criminibus exceptis, vt dictum q. 4. dub. 4. n. 78. Alioqui nunquam licet sagas iam de se confessas interrogare de complicibus in particula-ri, puta hac vel illa, quantumvis iam ab alijs sa-  
pius denuntiatâ, alijsque indicis merito suspectâ, nisi de eadem iam antea præcessisset infamia: cuius contrarium habet praxis, vt superius dub. 3. n. 82. ex Lessio retulimus, & re ipsa agnoscit Valentia loc. cit. §. 3. & 4. dum propter denuntiationem complicis in tormentis seu metu tormentorum confirmatam, concedit denuntiatam personam capi posse; item probationem per coniecturas & indicia, & denuntiationes complicum, etiam sine propria rei confessione sufficere ad condemnandâ poena mitiori & extraordinaria, quæ tamen superius improbauiimus.

Neque ego improbare ausim, si post duas tresfue denuntiations à reis iam pœnitentibus proprio motu factas, accendentibus simul alijs quibusdam, adminiculis seu indicis, etiam apud plures alias, itidem per pœnitentiam crimen suum exoflas, specialis de personis denuntiatatis fiat inquisitio; modo alioquin & secreti fides inuiolata seruetur, & in usu talium denuntiationum debita moderatio adhibetur, vt dictum dub. 2.

Quod vero ad media spiritualia attinet, certum est, ea multo maioris esse momenti, ad hoc vitium exterminandum, quam vlla humana & naturalia

media. Quandoquidem enim hic non est nobis col-  
luctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates &c. & contra spirituala nega-  
tia, vt loquitur Apostolus Ephes. 6. v. 12. non est du-  
biu[m], plus hic valere arma spiritualia, quam cor-  
poralia. Talia sunt I. omnia illa, quibus quisque sigillatim se à diaboli infestatione immunem acil-  
læsum præstare potest, quæ superiorius commemo-  
rauimus. Si enim quisque sibi ipsi sati à dæmonie  
cauet, continuo etiam toti communitat[i] sati ab eo  
cautum erit.

II. Solemnis & publica abrenuntiatio diabolo  
facta, post conciones toti populo prælegi solita.  
Multum enim valet hæc protestatio aduersus dia-  
boli machinationes. Vnde Chrysostomus hom. 21.  
ad populum Antiochenum: *Cumes ianuæ vestibula transgressiorum, hoc prius loquere verbum: Abrenuntiati satana. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprimere. Quæ causa est, cur optem etiam in Confessionali, præsertim à fœminis, eam abrenuntiationem, uti quædam formulæ confessionum habent, præ-  
mitti. Nam experientia didici, eas ad hoc non  
facile adduci, quæ de veneficij criminis suspectæ  
sunt &c.*

III. Publica protestatio fidei Catholicae, iuxta formulam Pij V. aut breuorem ex ea desumptam, saepius repetita: plerunque enim defectu fidei acci-  
dit hoc strigium cum diabolo pactum & commer-  
ciuum.

IV. Officium & Missa de S. Michaele Luciferi  
debellatore, & Ecclesiaz Patrono, deque Angelo  
loci custode, quot hebdomadibus, aut saltem singulis mensibus solemniter celebranda, pro huic  
criminis extirpatione.

V. Bona institutio liberorum ac familiae, maxi-  
me ut sublata prava iurandi, imprecandi, maledi-  
cendi, blasphemandi, turpiumue iocorum consue-  
tu[m], ad preces quotidiana[m] diligenter assuecant,  
& sacro Missæ officio, & Catechismo, vel coacioni  
diebus festis reuerenter intersint.

V I. Supplicationes & preces publicæ, pro co-  
dem criminis extirpando & diaboli studijs frangendis. Si enim contra pestem, bellum, tempestates,  
supplicationes & preces indicuntur, cur non multo  
magis contra hanc animarum pestem, contra hanc  
diaboli tyrannidem &c. Hæc vt opinor sufficient.

Reliqua vero, quæ ad hunc processum aduer-  
sus striges pertinent, videri possunt apud citatos, qui de  
hac refusis scriplerunt, in quibus præcipue sunt  
Delrius in suis libris disquisitionum & hoc anti-  
quiiores, Malleus maleficarum part. 2. & 3.

& Petrus Binsfeldius tract. de Con-  
fess. maleficorum.

\*\*\*

QVAE-